

studio exhortantes, ut ipse ad divini nominis gloriam et ad vestre sanctitatis ipsiusque ecclesie Romane honorem et reverentiam nec non ad quietum et salubrem statum regni et imperii eorundem velit ad vestram et eiusdem ecclesie Romane sancteque sedis apostolice gratiam cum devotione redire, se vestris et ipsius ecclesie dicteque sedis apostolice beneplacitis humiliter per omnia conformando. Qui modica deliberatione prehabita, se velle stare ac parere super materia prefati dissidii ac omnibus ipsum dissidium contingentibus informationi et ordinationi nostre, in quantum cum Deo, iusticia et honore suo fieri posset, efficaciter repromisit, suas patentes super hoc litteras maiori suo sigillo munitas super potestate huiusmodi tradita nobis dando, cautiones iuratorias ac fideiussorias magnorum et plurium principum et baronum nobis super hoc nichilominus offerendo. Clementissimam igitur vestram beatitudinem omni qua valemus precum instantia devote ac humiliter imploramus, quatinus redeundi ad gremium sancte matris ecclesie promptitudine^a ipsius domini Ludovici, qui super materia dissidii huiusmodi ordinationi ecclesiasticarum personarum duntaxat se submittere^b non expavit, premissis quoque turbationibus, dispendiis et periculis specialiter ecclesiis et personis ecclesiasticis, ut premittitur, imminentibus per vestre sanctitatis providentiam paternis affectibus ponderatis, predictum dominum Ludovicum ad reconciliationis gratiam sub modo premissis vestre solite benignitatis clementia recipere non recuset, partes regni et imperii predictorum ac precipue ecclesias et personas ecclesiasticas earundem partium de periculis, erumpnis et laboribus pretactis ad statum optate quietis per reconciliationem huiusmodi reducentes.

Verum quia ad omnia et singula premissa et ea contingentia plene ac pacifice scribenda cedula non sufficeret, nos venerabilem patrem dominum Ulricum Curiensis ecclesie episcopum et spectabilem virum Gerlacum^c comitem de Nassouwen de premissis plenissime informatos ad pedes vestre beatitudinis duximus fiducialiter destinandos, eandem vestram beatitudinem ex intimis nostris affectibus exorantes, quatenus eisdem super hiis fidem adhibere dignemini creditivam.

Dat. Spyre, die XXVII. mensis Marcii, anno domini millesimo trecentesimo tricesimo octavo.

a) 'promptitudinem' Hs.

b) 'sūmittere' Hs.

c) 'Gerlatum' Hs.